

*Thomae de Aquino***Summa contra Gentiles****Liber III
Capitulum 95 et 96****Quod immobilitas divinae providentiae utilitatem orationis non excludit**

2702. – Considerare etiam oportet quod, sicut providentiae immobilitas necessitatem rebus provisus non imponit, ita etiam nec orationis utilitatem excludit. Non enim ad hoc oratio ad Deum funditur ut aeterna providentiae dispositio immutetur, hoc enim impossibile est: sed ut aliquis illud quod desiderat, assequatur a Deo.

2703. – Piis enim desideriis rationalis creaturae conveniens est quod Deus assentiat, non tanquam desideria nostra moveant immobilem Deum: sed ex sua bonitate procedit ut convenienter desiderata perficiat. Cum enim omnia naturaliter bonum desiderant, ut supra probatum est;¹ ad supereminentiam autem divinae bonitatis pertinet quod „esse, et bene esse“², omnibus ordine quodam distribuat: consequens est ut, secundum suam bonitatem, desideria pia, quae per orationem explicantur, adimpleat.

2704. – Adhuc. Ad moventem pertinet ut id quod movetur, perducatur ad finem: unde et per eandem naturam aliquid movetur ad finem, et consequitur finem, et in eo quiescit. Omne autem desiderium est quidam motus ad bonum. Qui quidem non potest rebus inesse nisi a Deo, qui est per essentiam suam bonus, et fons bonitatis: movens enim omne movet ad aliquid simile sibi. Ad Deum igitur pertinet, secundum suam bonitatem, quod desideria convenientia, quae per orationes explicantur, ad effectum convenientem perducatur.

¹ Vgl. S.c.G. III 3.

² Ps.-Dionysius Areopagita, *De divinis nominibus* 4 § 1 (PG 3,696A).

*Thomas von Aquin***Summe wider die Heiden****Buch III
Kapitel 95 und 96****Daß die Unbeweglichkeit der göttlichen Vorsehung den Nutzen des Gebetes nicht ausschließt**

2702. – Es ist auch zu bedenken, daß die Unbeweglichkeit der Vorsehung, so wie sie den vorgesehenen Dingen nicht Notwendigkeit auferlegt, auch den Nutzen des Gebetes nicht ausschließt. Denn nicht dazu wird das Gebet an Gott gerichtet, daß der ewige Plan der Vorsehung abgeändert werde, dies ist ja unmöglich: sondern damit einer das, was er wünscht, von Gott erlangt.

2703. – Denn frommen Wünschen eines vernünftigen Geschöpfes ist es angemessen, daß Gott zustimme, nicht so, als bewegten unsere Wünsche den unbeweglichen Gott. Sondern es geht aus seiner Guttheit hervor, daß er das Erwünschte angemessen erfüllt. Denn da alle Dinge von Natur aus das Gute wünschen, wie oben erwiesen worden ist, es aber zur alles überragenden Größe der göttlichen Guttheit gehört, allen Dingen in einer gewissen Ordnung „Sein und Wohlsein“ auszuteilen: so folgt, daß Gott nach seiner Guttheit fromme Wünsche, die im Gebet geäußert werden, erfüllt.

2704. – Zudem. Zu einem Beweger gehört, daß er das, was bewegt wird, zum Ziel führt: daher wird auch durch ein und dieselbe Natur etwas zu einem Ziel hin bewegt, erlangt das Ziel und ruht in ihm. Jeder Wunsch aber ist gewissermaßen eine Bewegung zu einem Guten hin. Diese Bewegung kann nun den Dingen nur von Gott her innewohnen, der seinem Wesen nach gut und die Quelle der Guttheit ist: denn jedes Bewegende bewegt zu etwas ihm Ähnlichen. Zu Gott also gehört, entsprechend seiner Guttheit, daß er angemessene Wünsche, die in Gebeten geäußert werden, zu einer angemessenen Wirkung führt.



2705. – Item. Quanto aliqua sunt propinquiora moventi, tanto efficacius impressionem moventis assequuntur: nam et quae propinquiora sunt igni, magis ab ipso calefiunt. Substantiae autem intellectuales propinquiores sunt Deo quam substantiae naturales inanimatae. Efficacior est igitur impressio divinae motionis in substantiis intellectualibus quam in substantiis aliis naturalibus. Corpora autem naturalia in tantum participant de motione divina quod naturalem boni appetitum consequuntur ex eo, et etiam appetitus impletionem, quod quidem fit dum proprios fines consequuntur. Multo igitur magis intellectuales substantiae desideriorum suorum, quae per orationem Deo offeruntur, impletionem consequuntur.

2706. – Amplius. De ratione amicitiae est quod amans velit impleri desiderium amati, in quantum vult eius bonum et perfectionem: propter quod dicitur quod „amicorum est idem velle“.¹ Ostensum est autem supra² quod Deus suam creaturam amat; et tanto magis unamquamque quanto plus de eius bonitate participat, quae est primum et principale amatum ab ipso.³ Vult igitur impleri desideria rationalis creaturae, quae perfectissime divinam bonitatem participat inter ceteras creaturas. Sua autem voluntas est perfectiva rerum: est enim causa rerum per suam voluntatem, ut supra ostensum est.⁴ Ad bonitatem igitur divinam pertinet ut impleat desideria rationalis creaturae sibi per orationem proposita.

2707. – Praeterea. Bonum creaturae derivatum est secundum quandam similitudinem a bonitate divina. Hoc autem maxime commendabile in hominibus apparet, ut iuste petentibus assensum non denegent: ex hoc enim vocantur liberales, clementes, misericordes et pii. Maxime igitur hoc ad divinam bonitatem pertinet, ut pias orationes exaudiat.

¹ C. Sallust. Crisp., *De Catilin. Coni.*, 20,4.

² Vgl. *S.c.G.* I 75.

³ Vgl. *S.c.G.* I 74.

⁴ Vgl. *S.c.G.* II 23ff.

2705. – Ebenso. Je näher die Dinge einem Bewegter sind, desto wirksamer erfahren sie die Einwirkung des Bewegers: denn auch was dem Feuer näher ist, wird stärker von ihm erhitzt (als das Fernerstehende). Die geistigen Substanzen aber stehen Gott näher als die unbelebten natürlichen Substanzen. Also ist die Einwirkung der göttlichen Bewegung bei den geistigen Substanzen stärker als bei den anderen natürlichen Substanzen. Die natürlichen Körper aber haben insoweit teil an der göttlichen Bewegung, als sie von Gott das natürliche Streben nach dem Guten erlangen und auch die Erfüllung des Strebens, jedenfalls solange sie ihre ureigenen Ziele verfolgen. Vielmehr also erlangen die geistigen Substanzen die Erfüllung ihrer Wünsche, die im Gebet Gott vorgetragen werden.

2706. – Weiter. Es liegt im Wesen der Freundesliebe, daß der Liebende dem Wunsch des Geliebten Erfüllung wünscht, insofern er ihm Gutes und Vollkommenheit wünscht. Deswegen heißt es: „Freundesart ist es, dasselbe zu wollen“. Oben wurde aber dargelegt, daß Gott sein Geschöpf liebt; und er liebt ein jedes um so mehr, je mehr es an seiner Guttheit teilhat, die er als erstes und vornehmlich liebt. Er will also, daß sich die Wünsche des vernünftigen Geschöpfs erfüllen, das unter den übrigen Geschöpfen am vollkommensten an der göttlichen Guttheit teilhat. Sein Wille aber geht auf die Vervollkommnung der Dinge: er ist ja durch seinen Willen die Ursache der Dinge, wie oben dargelegt worden ist. Also gehört es zur göttlichen Guttheit, daß sie die Wünsche des vernünftigen Geschöpfs erfüllt, die ihr im Gebet vorgetragen werden.

2707. – Außerdem. Das Gute des Geschöpfs leitet sich gemäß einer gewissen Ähnlichkeit von der göttlichen Guttheit her. Das aber scheint an Menschen im höchsten Maße empfehlenswert zu sein, daß sie gerecht Bittenden die Zustimmung nicht versagen: daher heißen sie ja großzügig, gütig, barmherzig und gottgefällig. Also gehört es ganz besonders zur göttlichen Guttheit, fromme Gebete zu erhören.

2708. – Hinc est quod dicitur in *Psalmo*: „Voluntatem timentium se faciet, et orationes eorum exaudiet, et salvos faciet eos“.

– Et *Matth.* 7-8, Dominus dicit: „Omnis qui petit accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur.“

2709. – Non est autem inconueniens si quandoque etiam petitiones orantium non admittantur a Deo.

2710. – Ea enim ratione ostensum est quod Deus desideria rationalis creaturae adimplet, in quantum desiderat bonum. Quandoque autem contingit quod id quod petitur non est verum bonum, sed apparens, simpliciter autem malum. Non est igitur talis oratio Deo exaudibilis. Hinc est quod dicitur *Iac.* 4-3: „Petitis et non accipitis, eo quod male petatis.“

2711. – Similiter autem ex hoc quod Deus ad desiderandum movet, ostensum est conueniens esse quod desideria impleat. Mobile autem ad finem motus non perducitur a movente nisi motus continuetur. Si igitur motus desiderii per orationis instantiam non continuetur, non est inconueniens si oratio effectum debitum non sortiatur.

– Hinc est quod dominus dicit, *Lucae* 18-1: „Quoniam oportet semper orare, et non deficere.“

– Et *I Thess.* 5-17, dicit Apostolus: „Sine intermissione orate.“

2712. – Rursus. Ostensum est quod Deus rationalis creaturae decenter desiderium implet in quantum ei appropinquat. Appropinquat autem ei aliquis per contemplationem, et devotam affectionem, et humilem et firmam intentionem. Illa igitur oratio quae sic Deo non appropinquat, non est a Deo exaudibilis.

– Unde et in *Psalmo* dicitur: „Respexit in orationem humilium“;

– *Iac.* 1-6: „Postulet autem in fide, nihil haesitans.“

2713. – Item. Ostensum est quod ratione amicitiae, Deus vota piorum exaudit. Qui igitur a Dei amicitia declinat, non est dignum ut eius oratio exaudiatur.

– Hinc est quod *Prov.* 28-9 dicitur: „Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.“

– Et *Isaiae* 1-15: „Cum multiplicaveritis orationes, non exaudiam: manus enim vestrae sanguine plenae sunt.“

2708. – Daher heißt es *Ps* 145,19: „Denen, die ihn fürchten, tut er ihren Willen, ihre Bitten wird er erhören und sie retten.“

– Und *Mt* 7,8 sagt der Herr: „Jeder, der bittet, empfängt, und wer sucht, der findet, und wer anklopft, dem wird geöffnet werden.“

2709. – [96. Kapitel] – Es ist aber nicht ungereimt, wenn Gott auch manchmal die Wünsche der Bittenden nicht zuläßt.

2710. – Der Darlegung, daß Gott die Wünsche des vernünftigen Geschöpfes erfüllt, lag nämlich (als Voraussetzung) zugrunde: insofern es das Gute wünscht. Es geschieht aber manchmal, daß das Erwünschte nicht das wahre Gute ist, sondern nur ein scheinbares, eigentlich aber etwas Böses. Ein solches Gebet also kann Gott nicht erhören. Daher heißt es *Jak* 4,3: „Ihr bittet und empfangt doch nicht, weil ihr in böser Absicht bittet.“

2711. – Ebenso ist nun damit, daß Gott auf das Wünschenswerte hinbewegt, als angemessen dargelegt worden, daß er die Wünsche erfüllt. Ein Bewegliches wird aber nur zum Ziel der Bewegung geführt, wenn die Bewegung fortgesetzt wird. Wenn also die Bewegung des Wunschs nicht durch die Inständigkeit des Gebets fortgesetzt wird, ist es nicht unangemessen, wenn das Gebet die erwünschte Wirkung nicht erlangt.

– Daher sagt der Herr *Lk* 18,1: „Denn es ist nötig, immer zu beten und nicht nachzulassen.“

– Und *1 Thess* 5,17 sagt der Apostel: „Betet ohne Unterlaß!“

2712. – Wiederum. Es ist dargelegt worden, daß Gott den Wunsch des vernünftigen Geschöpfes geziemend erfüllt, sofern es sich ihm nähert. Man nähert sich ihm aber durch Betrachtung, durch ein andächtiges Gemüt, durch demütiges und festes Streben. Das Gebet also, das sich nicht so Gott nähert, kann Gott nicht erhören.

– Daher heißt es *Ps* 102, 18: „Er hat auf das Gebet der Demütigen geblickt.“

– Und *Jak* 1,6: „Er möge aber im Glauben bitten und nicht zweifeln.“

2713. – Ebenso. Es ist dargelegt worden, daß Gott auf Grund seiner Freundschaft die Gebete der Frommen erhört. Wer sich aber von der Freundschaft Gottes abwendet, ist nicht würdig, daß sein Gebet erhört werde.

– Daher heißt es *Spr* 28,9: „Wer sein Ohr abwendet, damit er das Gesetz nicht höre, dessen Gebet wird verdammenswert sein.“

– Und *Jes* 1,15 steht: „Wenn ihr auch eure Gebete vervielfacht, will ich sie doch nicht erhören: denn eure Hände sind voller Blut.“

2714. – Ex hac etiam radice procedit quod quandoque aliquis Dei amicus non auditur quando pro his rogat qui non sunt Dei amici: secundum illud *Ierem. 7-16*: „Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumes pro eis laudem et orationem, et non obsistas mihi: quia non exaudiam te.“

2715. – Contingit autem quandoque quod aliquis ex amicitia denegat quod petitur ab amico, quia cognoscit hoc ei esse nocivum, vel contrarium ei magis expedire: ut medicus infirmanti quandoque negat quod petit, considerans quod non expedit ei ad salutem corporis consequendam. Unde, cum ostensum sit quod Deus ex amore quem ad creaturam rationalem habet, eius desideria impleat sibi per orationem proposita, non est mirandum si quandoque eorum etiam quos praecipue diligit, petitionem non implet, ut impleat quod petenti magis expedit ad salutem.

– Propter quod a Paulo stimulum carnis non amovit, quamvis hoc ter peteret, providens hoc ei esse utile ad humilitatis conservationem, ut habetur *II Cor. 12-8-9*.

– Unde et *Matth. 20-22*, quibusdam Dominus dicit: „Nescitis quid petatis.“

– Et *Rom. 8-26* dicitur: „Nam quid oremus sicut oportet, nescimus.“

– Et propter hoc Augustinus dicit, in *Epist. ad Paul. et Ther.:* „Bonus Dominus, qui non tribuit saepe quod volumus, ut quod mallems attribuat.“

2716. – Patet igitur ex praemissis quod aliquorum quae fiunt a Deo, causa sunt orationes et pia desideria. Ostensum est autem supra¹ quod divina providentia causas alias non excludit: quin potius ordinat eas ad hoc quod ordo quem apud se statuit, rebus imponatur; et sic causae secundae non repugnant providentiae, sed magis providentiae exequentur effectum. Sic igitur orationes apud Deum efficaces sunt, nec tamen ordinem immutabilem divinae providentiae solvunt: quia et hoc ipsum quod tali petenti hoc concedatur, sub ordine divinae providentiae cadit. Simile est ergo dicere non esse orandum ut aliquid consequamur a Deo quia ordo suae providentiae est immutabilis, ac si diceretur quod non est ambulandum ut perveniamus ad locum, nec comedendum ut nutriamur: quae omnia patent esse absurda.

¹ Vgl. *S.c.G. III 77*.

2714. – Hier wurzelt auch die Tatsache, daß manchmal irgendein Gottesfreund nicht erhört wird, wenn er für die bittet, die nicht Freunde Gottes sind, gemäß dem Wort *Jer 7,16*: „Du also bete nicht für dieses Volk, verlege dich nicht auf Lobpreis und Bitte für sie und trotze mir nicht: denn ich will dich nicht erhören.“

2715. – Es kommt aber manchmal vor, daß jemand aus Freundschaft ablehnt, was der Freund ihn bittet, weil er erkennt, daß es ihm schädlich wäre oder das Gegenteil ihm mehr nützt: so schlägt der Arzt manchmal dem Kranken eine Bitte ab, wenn er denkt, sie helfe ihm nicht dabei, die Gesundheit zu erlangen. Obwohl dargelegt worden ist, daß Gott aus der Liebe zum vernünftigen Geschöpf die ihm im Gebet vorgetragene Bitten erfüllt, ist es darum nicht verwunderlich, wenn er manchmal auch die Bitte derer nicht erfüllt, die er ganz besonders liebt, damit er erfüllt, was dem Bittenden heilsamer ist.

– Deswegen hat er von Paulus, obwohl er ihn dreimal darum bat, nicht den Stachel des Fleisches genommen, in der Voraussicht, daß dies ihm zum Erhalt der Demut nützlich sei, wie *2 Kor 12* nachzulesen ist.

– Darum sagt der Herr *Mt 20,22* zu einigen: „Ihr wißt nicht, um was ihr bittet.“

– Und *Röm 8,26* heißt es: „Denn wir wissen nicht, worum wir in gehöriger Weise beten sollen.“

– Und deswegen sagt Augustinus in seinem Brief *An Paulinus und Therasia*: „Gut ist der Herr, der oft nicht gewährt, was wir wollen, um zu gewähren, was wir lieber wollen sollten.“

2716. – Aus dem bisher Gesagten ist also ersichtlich, daß von einigem, was Gott tut, Gebete und fromme Wünsche die Ursache sind. Es ist aber oben dargelegt worden, daß die göttliche Vorsehung andere Ursachen nicht ausschließt: vielmehr fügt sie sie dem ein, was die von ihr errichtete Ordnung den Dingen auferlegt. Und so widerstreiten die Zweitursachen nicht der Vorsehung, sondern verstärken ihre Wirkung. Mithin sind die Gebete bei Gott erfolgreich, lösen aber nicht die unveränderliche Ordnung der göttlichen Vorsehung auf: denn auch die Tatsache, daß einem solchen Bittenden etwas zugestanden wird, fällt selbst unter die Ordnung der göttlichen Vorsehung. Die Behauptung also, wir brauchten nicht zu bitten, um etwas von Gott zu erlangen, weil die Ordnung seiner Vorsehung unveränderlich ist, ist ähnlich derjenigen, wir brauchten nicht zu gehen, um an einen Ort zu gelangen, oder nicht zu essen, um uns zu ernähren: dies alles ist offensichtlich unsinnig.

2717. – Excluditur ergo ex praemissis duplex error circa orationem.

[1] Quidam enim dixerunt nullum esse orationis fructum.

[1.1] Quod quidem dicebant tam illi qui negabant divinam providentiam omnino, sicut Epicurei;

[1.2] quam illi qui res humanas divinae providentiae subtrahebant, sicut aliqui Peripateticorum;¹

[1.3] necnon et illi qui omnia quae providentiae subsunt, ex necessitate contingere arbitrabantur, sicut Stoici.²

Ex his enim omnibus sequitur quod nullus sit orationis fructus, et per consequens quod omnis deitatis cultus fiat in vanum: qui quidem error tangitur *Malach.* 3-14: „Dixistis“, inquit, „vanus est qui servit Deo. Et quod emolumentum quia custodivimus praecepta eius, et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum?“

[2] Quidam vero e contrario divinam dispositionem orationibus vertibilem esse dicebant: sicut et Aegyptii dicebant quod fatum orationibus et quibusdam imaginibus, subfumigationibus, sive incantationibus, vertebatur.

2718. – Et ad hunc sensum pertinere videntur quaedam quae in Scripturis divinis dicuntur, secundum id quod prima facie apparet ex eis.

– Dicitur enim *Isaiae* 38 quod *Isaias*, ex mandato Domini, dixit *Ezechiae* regi, „Haec dicit Dominus: dispone domui tuae, quia morieris tu, et non vives“; et quod post orationem *Ezechiae*, factum est verbum Domini ad *Isaiam* dicens, „Vade, et dic *Ezechiae*: audivi orationem tuam. Ecce, ego adiciam super dies tuos quindecim annos.“

– Et *Ierem.* 18 [7sq.] dicitur ex persona Domini: „Repente loquar adversus gentem et adversus regnum, ut eradicem et destruum et disperdam illud. Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego poenitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei.“

– Et *Joelis* 2-13: „Convertimini ad dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est. Quis scit si convertatur et ignoscatur Deus?“

2719. – Haec autem si secundum suam superficiem intelligantur, ad inconveniens ducunt. Sequitur enim

¹ Vgl. *S.c.G.* III 75.

² Vgl. *S.c.G.* III 73.

2717. – Mit dem bisher Gesagten wird also ein zweifacher Irrtum hinsichtlich des Gebets ausgeschlossen.

[1] Denn einige haben gesagt, das Gebet fruchte nichts.

[1.1] Dies behaupteten allerdings sowohl diejenigen, die eine göttliche Vorsehung überhaupt leugneten, z.B. die Epikureer,

[1.2] als auch diejenigen, die die menschlichen Angelegenheiten der göttlichen Vorsehung entzogen, z.B. einige Peripatetiker,

[1.3] und auch diejenigen, die der Ansicht waren, alles, was der Vorsehung unterliegt, geschehe aus Notwendigkeit, z. B. die Stoiker.

Aus all diesen Annahmen folgt ja, das Gebet fruchte nichts und alle Verehrung der Gottheit sei folglich vergebens. Dieser Irrtum wird *Mal* 3,14 angesprochen: „Ihr habt gesagt“, heißt es dort: „Vergeblich ist es, Gott zu dienen. Und was für einen Nutzen hat es, daß wir seine Gebote beachtet haben und daß wir in Trauer gewandern vor dem Herrn der Heere umhergegangen sind?“

[2] Umgekehrt behaupteten gewisse Leute hingegen, der göttliche Plan sei durch Gebete umzuwenden: so sagten auch die Ägypter, das Schicksal werde durch Gebete, gewisse Götzenbilder, Räuchereien oder Zaubersprüche umgewendet.

2718. – Diesem Sinn scheinen gewisse Worte in der Heiligen Schrift zu entsprechen, jedenfalls scheint es auf den ersten Blick so.

– Es heißt nämlich *Jes* 38,1ff., daß *Jesaja* auf Befehl des Herrn zu König *Hiskija* sagte: „So spricht der Herr: Bring dein Haus in Ordnung, denn du wirst sterben und nicht am Leben bleiben“; daß aber nach dem Gebet des *Hiskija* das Wort des Herrn an *Jesaja* also erging: „Geh und verkünde dem *Hiskija*: Ich habe dein Gebet erhört. Siehe, ich will deinem Leben noch fünfzehn Jahre hinzufügen.“

– Und *Jer* 18,7f. heißt es aus dem Munde des Herrn: „Bald drohe ich einem Volk oder einem Reich, es auszurotten, zu vernichten und zu vertilgen. Wenn aber dieses Volk seine Bosheit reut, deretwegen ich ihm gedroht habe, so soll auch mich das Böse reuen, das ich ihm anzutun beschlossen hatte.“

– Und *Joel* 2,13 f steht: „Kehrt um zum Herrn, eurem Gott, denn er ist gütig und barmherzig. Wer weiß denn, ob Gott sich nicht umwendet und verzeiht?“

2719. – Diese Worte führen, wenn sie oberflächlich verstanden werden, zu Ungereimtheiten. Es folgt dann nämlich

- [1] primo, quod voluntas Dei sit mutabilis.
 [2] Item, quod aliquid ex tempore Deo adveniat.
 [3] Et ulterius, quod aliqua quae temporaliter in creaturis sunt, sint causa alicuius existentis in Deo.
 Quae sunt manifeste impossibilia, sicut ex superioribus patet.¹

2720. – Adversantur etiam auctoritatibus sacrae Scripturae, quae infallibilem continent veritatem et expressam.

– Dicitur enim *Num.* 23-19: „Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? Locutus est, et non implebit?“

– Et *I Reg.* 15-29: „Triumphator in Israel non parceret, et poenitudine non flectetur: neque enim homo est, ut agat poenitentiam.“

– Et *Malach.* 3-6: „Ego Dominus, et non mutor.“

2721. – Si quis autem diligenter consideret circa praedicta, inveniet quod omnis error qui in his accidit, ex hoc provenit quod non consideratur differentia inter universalem ordinem et particularem. Cum enim omnes effectus ordinem ad invicem habeant secundum quod in una causa conveniunt, oportet tanto esse communiorem ordinem, quanto est universalior causa. Unde ab universali causa, quae Deus est, ordo proveniens necesse est quod omnia complectatur. Nihil igitur prohibet aliquem particularem ordinem vel per orationem, vel per aliquem alium modum immutari: est enim extra illum ordinem aliquid quod possit ipsum immutare. Propter quod non est mirum si Aegyptii, reducetes rerum humanarum ordinem in corpora caelestia, posuerunt fatum ex stellis proveniens aliquibus orationibus et ritibus posse immutari: nam extra caelestia corpora, et supra ea, est Deus, qui potest impedire caelestium corporum effectum qui in istis inferioribus ex illorum impressione secuturus erat.

Sed extra ordinem complectentem omnia, non potest poni aliquid per quod possit ordo ab universali causa dependens everti. Propter quod Stoici, qui in Deum sicut in causam universalem omnium ordinis rerum reductionem considerabant, ponebant quod ordo institutus a Deo nulla ratione potest immutari.

¹ Vgl. *S.c.G.* I 13ff.

[1] erstens, der Wille Gottes sei veränderlich.

[2] Ebenso, etwas aus der Zeit dringe zu Gott vor.

[3] Und zuletzt, Dinge, die eine Zeitlang bei den Geschöpfen existieren, seien Ursache für etwas, das in Gott existiert.

Dies ist offensichtlich unmöglich, wie aus dem bisher Gesagten ersichtlich ist.

2720. – Es widerspricht auch den Aussagen der Heiligen Schrift, die eine untrügliche und ausdrückliche Wahrheit enthalten.

– *Num* 23, 19 steht nämlich: „Gott ist nicht wie der Mensch, daß er lügen würde; noch wie des Menschen Sohn, daß er sich änderte. Er hat also gesprochen und sollte es nicht auch tun? Er hat zugesagt und sollte es nicht erfüllen?“

– Und *1 Sam* 15,29 heißt es: „Der Sieger über Israel wird nicht lügen und nicht von Reue überwältigt werden: denn er ist nicht ein Mensch, daß es ihn reuen könnte.“

– Und *Mal* 3,6 wird gesagt: „Ich bin der Herr, und ich ändere mich nicht.“

2721. – Wenn man aber sorgfältig über das bisher Gesagte nachdenkt, wird man finden, daß jeder Irrtum, der darin auftritt, daher stammt, daß nicht der Unterschied zwischen allgemeiner und besonderer Ordnung bedacht wird. Da nämlich alle Wirkungen eine Ordnung zueinander haben, insofern sie eine einzige Ursache gemeinsam haben, ist eine Ordnung notwendig um so gemeinschaftlicher, je allgemeiner ihre Ursache ist. Daher umfaßt die Ordnung, die von der allgemeinen Ursache, also von Gott, stammt, notwendig alles. Nichts also hindert, daß irgendeine besondere Ordnung durch ein Gebet oder auf irgendeine andere Weise verändert werde: es gibt ja außerhalb dieser Ordnung noch etwas, das sie verändern könnte. Deswegen ist es nicht verwunderlich, wenn die Ägypter, die die Ordnung der Menschenwelt auf die Himmelskörper zurückführten, behaupteten, das Schicksal, das aus den Sternen komme, könne durch Gebete und heilige Handlungen verändert werden: denn außerhalb der Himmelskörper und über ihnen steht Gott, der die Wirkung der Himmelskörper hindern kann, die hier unten aus ihrem Einfluß hätte entstehen müssen.

Außerhalb der alles umfassenden Ordnung aber kann nichts angenommen werden, das die von der allgemeinen Ursache abhängige Ordnung umwenden könnte. Deshalb behaupteten die Stoiker, die die Ordnung aller Dinge auf Gott als die allgemeine Ursache zurückführten, die von Gott eingesetzte Ordnung könne aus keinem Grunde verändert werden.

Sed in hoc iterum a consideratione universalis ordinis recedebant, quod ponebant orationes ad nihil utiles esse, tanquam arbitrarentur voluntates hominum et eorum desideria, ex quibus orationes procedunt, sub illo universali ordine non comprehendi. Cum enim dicunt quod, sive orationes fiant sive non, nihilominus idem effectus sequitur in rebus ex universali ordine rerum, manifeste ab illo universali ordine vota orantium sequestrant. Si enim haec sub illo ordine comprehendantur, sicut per alias causas, ita et per haec, ex divina ordinatione, aliqui effectus sequuntur. Idem ergo erit excludere orationis effectum, et omnium aliarum causarum. Quod si aliis causis immobilitas divini ordinis effectus non subtrahit, neque orationum efficaciam tollit. Valent igitur orationes, non quasi ordinem aeternae dispositionis immutantes, sed quasi sub tali ordine etiam ipsae existentes.

2722. – Nihil autem prohibet per orationum efficaciam aliquem particularem ordinem alicuius inferioris causae mutari, Deo faciente, qui omnes supergreditur causas, unde sub nulla necessitate ordinis alicuius causae continetur, sed, e converso, omnis necessitas ordinis inferioris causae continetur sub ipso quasi ab eo institutus. In quantum ergo per orationem immutatur aliquid de ordine inferiorum causarum instituto a Deo, propter orationes piorum, dicitur Deus converti, vel poenitere: non quod aeterna eius dispositio mutetur, sed quia mutatur aliquis eius effectus. Unde et Gregorius dicit quod *non mutat Deus consilium etsi quandoque mutet sententiam*: non, inquam, illam quae exprimit dispositionem aeternam; sed illam sententiam quae exprimit ordinem inferiorum causarum, secundum quem Ezechias erat moriturus, vel gens aliqua pro suis peccatis evertenda. Talis autem sententiae mutatio dicitur transumptiva locutione Dei poenitentia, in quantum Deus ad similitudinem poenitentis se habet, cuius est mutare quod fecerat. Per quem modum dicitur etiam metaphorice irasci, in quantum puniendo facit irascentis effectum.

(Latenischer Text: corpusthomaticum.org)

Doch wichen sie von der Annahme einer allgemeinen Ordnung insofern wiederum ab, als sie behaupteten, Gebete seien zu nichts nütze, so wie sie meinten, der Wille der Menschen und ihre Wünsche, aus denen die Gebete hervorgehen, seien in dieser allgemeinen Ordnung nicht inbegriffen. Denn wenn sie sagen, aus der allgemeinen Ordnung der Dinge folge, ob Gebete ergingen oder nicht, nichtsdestoweniger dieselbe Wirkung in den Dingen, so weichen die Gebete der Bittenden offensichtlich von dieser allgemeinen Ordnung ab. Wenn diese [Gebete] nämlich in jener Ordnung inbegriffen sind, dann werden eben auch durch sie nach göttlicher Ordnung irgendwelche Wirkungen folgen wie durch andere Ursachen. Also läuft es auf dasselbe hinaus, die Wirkung des Gebets und gleich die aller anderen Ursachen auszuschließen. Wenn die Unbeweglichkeit der göttlichen Ordnung anderen Ursachen die Wirkungen nicht entzieht, so hebt sie auch nicht die Wirksamkeit der Gebete auf. Gebete haben also einen Wert: nicht als ob sie die Ordnung des ewigen Plans veränderten, sondern insofern sie auch unter dieser Ordnung eigenständig sind.

2722. – Nichts jedoch hindert daran, daß durch die Wirksamkeit der Gebete irgendeine besondere Ordnung einer unteren Ursache von der Hand Gottes, der alle Ursachen übersteigt, verändert werde. Darum wird er von keiner Notwendigkeit der Ordnung einer Ursache umfassen, sondern jede Notwendigkeit der Ordnung einer unteren Ursache wird umgekehrt von ihm umfassen, da er sie ja eingesetzt hat. Insofern also durch das Gebet etwas aus der von Gott eingesetzten Ordnung der unteren Ursachen verändert wird, sagt man von Gott, wegen der Bitten der Frommen ‚wende er sich um‘ oder ‚es reue ihn‘: nicht weil sein ewiger Plan verändert würde, sondern weil eine Wirkung seines Plans verändert wird. Daher sagt auch Gregor, Gott ändere nicht seinen Plan, auch wenn er manchmal eine Entscheidung ändere: nicht, wiederhole ich, die Entscheidung, die den ewigen Plan ausdrückt, sondern jene, die die Ordnung unterer Ursachen ausdrückt, nach der Hiskija hätte sterben oder irgendein Volk für seine Sünden vernichtet werden müssen. Eine solche Veränderung der Entscheidung aber wird mit einem übertragenen Ausdruck Gottes ‚Reue‘ genannt, insofern Gott sich einem Reuigen ähnlich verhält, den es kennzeichnet, zu ändern, was er getan hat. In dieser Weise sagt man auch im übertragenen Sinne, Gott ‚zürne‘, insofern er durch sein Strafen wie ein Zürnender wirkt.

(Deutsche Übersetzung: Hamns-GregorNissing
auf der Grundlage der Übersetzung von Karl Allgaier)